

Instrumentum hoc Cylindrinū est diuisum: Primo in limbo inferiori in duodecim signa Zodiaci, & eorū noībus inscriptū, & quolibet signū in gradibus, cum numeris suis, sub quibus duodecim menses, anni cum nominibus atque diebus suis quibusdam puncturis & gradibus notatis, quorum quilibet duos gradus, seu duos dies continet, excepto ubi mensis 31, habet dies, quia tunc ultima uisus mensis punctura unum representat diem. Item habet diei horas cum lineis horarijs, atramento notatas, ex quibus per umbram Solis, diei poterimus habere horas, quarum numerus scriptus supra imagines Cancri & Geminorum, id est, Troicum Cancri apparet. Item in hoc etiā instrumento sunt horæ inæquales, siue temporales, quæ uulgo planetariæ appellantur, rubro insignitæ, quarum numerus circa equatorem, uel principium Arietis & Libræ signatus reperitur. Item gradus altitudinis Solis, in longitudine obseruatorij huius extensi sunt usque ad 36. gradus, & 30 ferè minuta, quæ maxima Solis altitudo in nostra uidelicet 50. graduum elevatione obseruatur, è quibus omni momento Solis altitudinē ea lucente inuenire possumus. Item habet puncta umbræ uersæ, quibus cuiusque rei excelssæ, siue in plano erectæ altitudinem per eius umbram metiri ualeamus.

Canon primus locum Solis docet inuenire.

Quære mensem in quo motum Solis cupis in limbo inferiori huius instrumenti, & eius diem, supra quem in limbo signorum inuenies gradum, & signum Solis uic diei rectè correspondentem.

Canon secundus, Horam diei per umbram, Ciotheri à Sole pandet.

Pone Ciotherum, siue stylum super signum & gradum Solis, iuxta proportionem diei limbi inferioris inuentum, & uerte instrumentum in manu cum filo, siue cordula suspensum, ita quòd umbra Ciotheri cadet perpendiculariter iuxta lineas angas signorum & graduum, quia tunc umbræ extremitas Ciotheri ostendet horam communem diei inter lineas horarias atro tractas, ut scilicet si terminus cœciderit super lineam primam quæ infima est, & rubro colorata, tunc erit hora duodecima communis meridiei, & sexta temporalis siue planetaria. Si super secundam cœciderit lineam, erit hora undecima antemeridiana, aut prima post meridiana.

An autem ante uel post meridiem sit talis hora, ita innotescet. Si umbra Ciotheri continue elongatur, tunc certum tene ante meridiem fore. Si uero abbreviatur, erit tempus postmeridianum.

Canon tertius, Ortum & Occasum Solis, atque quantitatem diei & noctis inuenire prodet.

Ortus Occasusque Solis faciliter per Cylindrum inuenientur. Nam si stylus iuxta proportionem loci Solis in superiori parte horarij locatus fuerit, considerandum erit, quæ linea horaria stilo, siue Ciothero proximior extiterit, nam ea Ortum & Occasum Solis indicabit, hoc tamen notato, quòd horæ antemeridianæ ortum, post meridianæ uero occasum indicabunt. Quibus cognitis, quantitatem huius diei numerabis à tali hora, & minutis ortus, usque in eius diei horam & minutas occasus,